

1719.

Michael:

1. Alberti, Michael: *Investigatio sing. meties, que dubia vocata  
materialis metiae expromuntur*


2. Alberti, Michael: *De fluxus haemorrhor. salis provocatione*  
*ya. 1719*

3. Bachmarius, Ioh. Henning: *Fare statuum protestatione circa  
monasteria ecclesiasticum. -- explicabit et ex auctoribus publico  
subsidiet. 3 Decemb. 1719, 1725 & 1730.*

5<sup>a</sup>, b, c. Bachmarius, Ioh. Henning: *De curta praescriptionis contra  
minorer suspensos. 3 Decemb. 1719, 1730 & 1739.*

6<sup>a</sup>, b, c. Bachmarius, Ioh. Henning: *De potestate civili in templo  
28 Sept. 1719 & 1725.*

7<sup>a</sup>, b, c. Gaudinianus, Nic. Hieronymus: *Singularia de transac-  
tione statutate et iustitiae capite. 3 Decemb.  
1719, 1735 & 1757.*







208  
1719 T. 2  
2

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,  
DE  
**FLVXVS HAE-**  
**MORRHOIDALIS**  
**PROVOCATIONE,**

QVAM,  
FAVENTE DIVINO NVMINE

ET  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV,

PRAESIDE

**DN.D. MICHAELE ALBERTI,**  
POTENTISS. REGIS BORVSSIAE CONSILIARIO AVLICO.  
MEDICINÆ ET PHILOS. NATVRAL. PROFESSORE PV-  
BLICO ORDINARIO, ACAD. CÆSAR. NAT.  
CVRIOS. COLLEGA,

FACVLTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,  
PATRONO, PRAECEPTORE AC PROMOTORE SUO  
SVMMOPERE DEVENERANDO,

**PRO GRADU DOCTORIS**

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus ac Pri-  
vilegiis More Majorum Solenni obtinendis,

Horis ante . & pomeridianis  
ANNO M DCC XIX. D. OCT.

Publicè ventilationi submitteret

AVCTOR & RESPONDENS

**ANDREAS HERRMANN,**  
Neosolio - Hungarus.

HALÆ MAGDEB. Literis STEPHANI ORBANI, Acad. Typograph,

DIRECTORI MUSARIALIS MEDICÆ  
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
**DOMINO**  
**CAROLO OTTONI**  
**MOLLER,**  
MEDICINÆ DOCTORI,  
INCLYTI COMITATVS ZOLIENSIS,  
*nec non*  
LIBERAE REGIAE MONTANAEQVE CIVITATIS  
NEOSOLIENSIS  
PHYSICO ORDINARIO,  
ET  
PER PLVRES HVNGARIAE COMITATVS  
PRACTICO CELEBERRIMO,  
**PATRONO, FAVTORI**  
& AMICO SVO

Tenuer hoc studiorum specimen dedicat

KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE

AVTOR



### THESIS I.

**D**e prouocatione fluxus hæmorrhoidalis locuturus, quid hoc nomine intellectum velim, ante omnia indicare necessarium duxi. Comprehendo sub nomine fluxus hæmorrhoidalis, excretionem sanguinis sinceri ex Intestino recto, ratione motus & exitus duplcam; nimurum ex Vena hæmorrhoidalii interna propagine Venæ Portæ, in nonnullis Rami Splenici, & Vena hæmorrhoidalii externa, ex ramis Iliacis internis, & quidem earum ramificatione hypogastrica propaginibus Venæ Cœliæ, utrisque in Intestinum rectum excurrentibus, & diuersa via, tum Venam Portæ, tum Cœliam, deplentibus: Per prouocationem autem excretionis huius in subiectis eandem nondum expertis nouam inductionem, distinctam a promotione, hac enim magis in subiectis, quæ fluxu hoc ad tempus carent, antea tamen actu laborauere, locum habet.

### Th. II.

Contingit hæc excretioni partim actiue, dum Natura sponte, concessis sibi a Creatore viribus & in œconomia

A 2

Vita-

4

¶ (o) ¶

Vitali solitis modis eandem molitur, aut per varia media & occasiones ad suscipiendum ipsam sollicitatur: partim passiue, ubi per indirectum sanguis exprimitur, atque imposterum Naturæ via & occasio suppeditatur, vt leui de causa ad pristinum recurrat astum, exitum eundem affectet, & si maxime eum non adsequitur, attamen sedulo moliatur, sub repetitisque motibus illi adsuescat.

Th. III.

Quod subiecta attinet: Sexus vterque hæmorrhoidum fluxui expositus est, Virilis tamen præ Sequiore. Internarum plerumque subiecta siccioris, externarum vero spongiosioris corporis habitus, in ætate iuuenili & Virili constituta, experientur. Sæpe externæ in internas, & quod rarius fit, modo absit peruersa medela, internæ in externas degenerant. Nonnunquam utrasque in uno eodemque subiecto, ex hæreditaria quoque dispositione ætati & habitui corporis minus proprias, inuenimus.

Th. IV.

Ad amplum causarum iam digredior campum, inter quas primum sibi vendicat locum hæreditaria dispositio, hæc si ullibi, certe in hæmorrhoidal negotio manifesto deprehendi solet. Presso hanc sequitur pede Plethora, non simplex vero, sed commota, quo pertinent reliquæ sanguinem commouentes & naturam ad excretionem in certoloco suspiciendam inuitantes cause: vt Ira, abusus Veneris, aromatum, spirituorum, purgantium drastricorum, clysterum & suppositoriorum acrium, equitatinimia, alii durities graui exoneratio nisu stipata, partus difficilis, tormenta grauia & tenefus, qua dum non modo vias, sed & humores afficiunt, excretioni hæmorrhoidalici inducendæ inferuiunt.

Th.

## Th. V.

Causis praecedente Thesi prolatis; annumerai ab usum Veneris, quoniam non solum sanguinem commovet, sed & vias, ob communem ortum vasorum venosorum membra virilis & haemorrhoidalium externorum ex Iliacis internis, afficit, duplici documento: etenim vere Venerea lue inquinati, peculiares quasdam commotiones & ulcerationes in haemorrhoidalibus locis circa exitum intestini recti subeunt; Eunuchi autem bene monente Hippocrate Aphor: Sect. VI. §. 28. Podagra non laborant, quae cum haemorrhoidibus externis conspiratione & connexionem inuictam habet, harumque emanentem aut impeditum fluxum communiter sequitur.

## Th. VI.

Nec obliuioni tradendæ erunt obstrunctiones, stiræ & stases Scirrhose Epatis, quæ excretionem sanguinis haemorrhoidalem post se trahunt; etenim sic constitutis rebus, denegato per Epar ex Vena Porta transitu, sanguis ad Venam haemorrhoidalem regurgitans, effluit, quod si statim in initio fit, salutare, tardius vero & consumtis iam viribus lethale esse solet, exemplo excretionis haemorrhoidalis in heclica & hydrope consumatis continentis, quo sensu non damnanda est plebis obseruatio, quod sitalles sanguinem deicere incipient, res conclamat.

## Th. VII.

Vilitatem huius fluxus suo iam deprehendit tempore Hippocrates, nam Aph. Sect. IV. §. 25. fluxum sanguinis deorsum bonum pronunciat, & quod Melancholiam, Maniam & Nephritidem soluat. Sect. VI. §. 11 & 21. a pleurite, peripneumonia, furunculis, lepra, vitiliginibus

præseruet, sideratis utilis sit: Imo quod recentiores ex-  
actius deduxere, Internus, affectibus hypochondriaco-  
splenico hysterico, cardialgico, colico, flatulentis, &c.  
Externus, Nephriticis, Arthriticis & huius speciebus,  
Gonagricis, Podagricis, Ischiadicis, medentur: qua in re  
prolixior esse nolo, cum satis superque a Precepto-  
ribus meis nunquam non venerandis: Illustri Stah-  
lio, Consiliario & Archiatro Regio, in Dissertationibus  
De Vena Portæ, Porta malorum; Motu hæmorrhoidalium in  
& externo: Sanguisugarum utilitate &c. & Consultissi-  
mo Domino Præside: De hæmorrhoidibus longæ uitatis  
causa, & pluribus aureis hanc in rem scriptis, deduc-  
ta sint.

## Th. VIII.

Hæc permouit quosdam recentiorum Physiologorum,  
vt, cum deprehenderent, fluxum hæmorrhoidalem eodem  
niti fundamento, quo fluxus menstruus, nempe plethora,  
utrumque e Vena Portæ prodire, loco exonerantis fo-  
lum variare demonstrarent, suppressum aut impeditum si-  
miles turbas in sistemate Venæ Portæ & visceribus anne-  
xis subsequi, eum non quidem in totum, quoniam nec  
apud omnes promiscue, nec adeo ordinate vt menstrua  
succedit, praeterea hypothesis de Communione Venæ  
hæmorrhoidalium internæ cum Cervice præcipue, vt & ex  
parte cum Vagina Vteri adhuc vteriori obseruatione re-  
quirente excretio Sanguinis menstrui ex Vena Portæ  
nondum satis cognita fit (iuxta Theses Anatomico Phy-  
siologicas De Vena Portæ, Celeberrimi apud Argentora-  
tenses Anatomiae Profess. D.D. Salzmanni, qui cum omni  
adhibita solertia, plus vna vice in subiectis mulieribus,  
iunctis etiam liquorum iniectionibus, nondum ad-  
huc Venæ hæmorrhoidalium internæ progressum ad vterum  
cius-

eiisque partes, quem plures alii Anatomici allegant, inueniret, turbas illas potius ex aliqua anastomosi rami Venæ hæmorrhoidalis internæ cum externa in Sphinctore anni deducit) attamen aliquo respectu evacuationi non naturali annumerarent, quam & fieri debere, & quando non sit durationem corporis lædere.

## Th. IX.

Eodem ex utilitatis fonte motam inueni quæstionem, Dissertatione De hæmorrhoidum Internarum motu: An hæmorrhoides adfuefactas oppugnare & in totum percurare integrum sit? Mihi aliam ventilare placet: An & quibus subiectis fluxus hæmorrhoidalis prouocandus sit? atque in hac decidenda quid debiles valeant humeri experiri.

## Th. X.

Nota est Mich: Scoti assertio de Iudeis, quod ex Diuina quadam vindicta hoc effeminato laborent fluxu, & quamvis quæ Galenus, Aetius, Riuierius & alii, de evacuatione hæmorrhoidalí proferunt, quod imbecillitatem totius corporis, miseram vitam, periculosisimos morbos, atrophiam, cachexiam, hydropem, inducat, multos vita priuer, de excessu vel defectu eius dicta esse, quilibet exactius ponderando & trutinando animadvertis: tamen cum vix sine molesto sensu, torminibus, angustiis, pressionibus & tensionibus circa hypochondria & crucem, vt pote quasi essentialibus individuis hæmorrhoidum Symptomatis, ac sic motuum qui vita & sanitati praefunt aucto gradu & alteratione succedat, unde rectissime hoc sensu a Foresto L.23. Obs. III. Salutare malum nuncupatur; iure meritoque cum Consultissimo Friderico Hoffmanno Præceptore meo nunquam non colen-

colendo sentio, excretionem hæmorrhoidalem in morborum quamvis leuiorum numerum referri debere, & v-

tique omnes qui ea detinentur, morbo licet leuiori ob-

noxios esse.

## Th. XI.

Dixi in antecedentibus, hæmorrhoidum internarum fluxum, ex Vena hæmorrhoidalí interna, in Intestinum rectum excurrente, cuius inferiorem partem Spithamæ circiter longitudine ambit, & profundius interiorem eius partem perreptat, prodire; externarum vero ex Vena hæmorrhoidalí externa, quæ itidem ad intestinum rectum excurrens eius orificio inserta est; hinc euenit, ut ob commodiorem insertionem & situm, interna facilius externis succedant, quæ vix vñquam sine externis ad miniculis ad expeditiorem pertingunt successum: interim vtriusque excretionis incertus & anceps manet successus, siquidem a leuissima causa occasionali turbantur, & lernam malorum, grauiissimis morbis corpus huma- num afflagentium post se trahunt, a quibus homines excretione hac destituti, & liberi & absque periculi metu viuunt.

## Th. XII.

Dum itaque fluxus hæmorrhoidalís, iuxta Th. X. in morbidum homines coniicit statum, iuxta Th. XI. semper dubius & anceps est eius successus, turbatum grauia comitantur mala, sana suader ratio eundem non provocandum esse, sed molimina eius potius desuiescienda. Atque sic satisfactum a me autumo, quæstionis motæ pri- mæ parti. Causæ sue Patronum videant vbi nanciscen- tur, qui indiscretum fluxui hæmorrhoidalí & hunc comitan- tibus periculis homines exponere non dubitant.

## Th. XIII.

Quod ad alterum quæstionis prolatæ attinet mem-  
brum: Dixi quidem thesi precedente, ob varia ibidem  
relata incommoda & pericula fluxum hæmorrhoidalem  
nemini inducendum esse: Ait quoniam bene notante  
Manilio omnes Artes adeoq; & Medicam Experientia fecit,  
exemplio monstrante viam, docent hæc in quotidiana nos  
Praxi, quo in quibusdam casibus ad euitandos grauiores &  
periculosiores morbos affectus & effectus, hæc excretio  
prouocari debeat: etenim e duobus ineuitabilibus malis,  
fatius & rationabilius est, subire minus. Quando itaque  
cuiquam grauior imminet morbus, pro auertendo hoc,  
bona conscientia leuiori exponitur. Mearum iam erit  
partium in quibus subiectis id utile ac necessarium sit, o-  
stendere.

Indicat prouocationem hæmorrhoidum hæreditaria  
dispositio, etenim in talibus subiectis, in quibus molimi-  
na aut actualis fluxus præmature etiam absente pletho-  
ra apparere solent, inanis imo noxius esset conatus, mo-  
limina eo collimantia desufacere & naturæ motus tur-  
bare velle, siquidem multo peiora exinde expectanda  
forent, & habet si alicubi, certe in hoc passu locum Effac-  
tum Hippocratis: Naturas ducendas esse, quo vergunt.

Placet hanc in rem vnicum adducere exemplum:  
Iuuenis 24. annorum, temperamenti Sanguineo-Me-  
lancholici, antea laboriolo vitæ generi deditus, patre  
hæmorrhoidario natus, cum tribus iam annis hæmorrhoi-  
des internas menstruas subiisset, præter has æquinoctio-  
autumnali dorsi & cruris vexatur doloribus, qui in ma-

lum Ischiadicum desiere, hoc sequebantur, pustulæ pru-  
rientes circa limbum ani, quæ adhibito Viguento Satu-  
rino Camphorato disparuere, redeunte tamen priore  
malo, cum dorsi & spasticis vagis arthriticis doloribus sca-  
pularum, colli & articulorum, hi, accedentibus largis sponta-  
neis matutinis sudoribus arte promotis, sensim euanuere.  
Aduentante æquinoctio Vernali, adhibet Venæ Sectione  
nem præseruatuum in Pede, nihilominus sequuntur hæ-  
morrhoides coeca tumentes, quæ suffimigis cedunt, se-  
cūtis in horum locum multo grauioribus, arthriticis va-  
gis doloribus, a quibus, non nisi prouocatis per hirudi-  
num vsum hæmorrhoidibus, liberabatur, & continuata  
fī verfus æquinoctia Venæ Sectione & hirudinibus, ab in-  
commodis illis, liber vixit.

## Th. XVI.

Vestigia hæreditariæ dispositionis legunt, molimi-  
na in plethoricis ad hæmorrhoidalem excretionem ten-  
denta, quæ imminutionibus & vicariis actualibus sanguini-  
nis euacuationibus non obtemperant, sed obstinate per-  
sistunt, aut ad loca inconuenientis & periculosi exitus re-  
currunt, grauiores ibi inducendo affectus: exemplo Hæ-  
moptyleos, Vomitus, Mictus Cruenti, & aliarum incon-  
gruarum excretionum hæmorrhagicarum.

## Th. XVII.

Liber huius rei exempla proferre: Vir 40. circiter  
annorum, temperamenti melancolico-cholerici, aliquot  
ab annis affectibus pectoris hæmoptycis detinebatur, qui  
successu temporis, in dolores cardialgico-emeticos, post  
adsumtos cibos quotidie magis increbescentes, non ob-  
stante vſu Venæ Sectionis in pede, definebant, hos in  
Consilium vocatus Practicus, dato anotericos motus di-

ver-

vertente puluere Rhabarbario iuncto stimulo Colocynthiaco, praesentanee sustulit, redibant tamen post aliquot dies, & disparuere rursus sub iterato pulueris vsu cum leuamine, inconstantiamen. Suadetur hirudinum vsu, quem tamen recusabat, potius alium adit Excellentiorum Medicum, hic postquam prauitatem Ventriculi incusasset Vomitorium præbet, cuius vsum hyperemesis secuta, accidente amaurosi & actuali excretione Sanguinis, sub qua cruentam euomuit animam.

Alter prægressis in Iuuentute largis narium hæmorrhagiis, in prouectiore ætate vero grauissimis hemicranicis doloribus, initium sensit Cataractæ, que nil obstante Vena Sectio in Pede, externis discutientibus, internis Mercurialibus laxantibus in dies maius sumebat incrementum, adhibito vero & continuato hirudinum vsu cum topicis discutientibus, euanuit.

## Th. XVIII.

Ne patientia Lectoris abutar, unicum adhuc proferre mihi licet exemplum: Vir Sanguineo-Melancholicus 30 aliquot annorum, rheumaticos dolores ante aliquot annos in pede perpeñus, corripitur æquinoctio autumnali diarrœa tormentosa, deiectionibus mucidis sanguineis striis tinctis, tensione hypochondriorum, dolore crucis & tenefino comite: hanc Medicus in Consilium vocatus pro Dysenteria habens, fistula in & externis stipticis manibus pedibusque conatur, striae fanguineæ disparent, mucidorum deiectione perseverante; Hinc Dysenteriam albam accusat, sub usu stipticorum deiectione decrescit, tensione hypochondriorum, doloribus dorfi & tenefmo ingrauescentibus, accidente una angustia pectoris & momentaneæ strangulationis metu, haec sèpius secuta deiectione moderatiora fiunt, aguntur talia per ali-

quot hebdomadas, accedens alter Medicus ex relatis, molimina hæmorrhoidalia subesse concludit, eaque cum per aliquot septimanas iam durassent, temperantibus, anodynis & specificis sopire & in tranquillum statum deducere tentabat, ab eorum vero vsu & diarrhoea & tormina cum supra dictis incommodis creuere, post meridiem inualescente quotidiano horrore, extremorum frigore & leui æstu, tumore pedum, qui mane evanescere iueit. Dantur tandem sanguinem & vias ad exitum disponentia, & hæmorrhoidalem fluxum prouocantia, sub quorum vsu & perrupit, & sensim vna cum diarrhoea & cæteris incommodis disparuit, ægro ad pristinum sanitatis vigorem redeuntes.

## Th. XIX.

Restat ut remedia quæ molimina hæmorrhoidalia defudefiant, vt & quæ actualem excretionem inducent, suppeditent. Primum præstant Vicariae sanguinis immixtiones & euacuationes, euitatio causarum occasionallium, quæ plethoram commouent & vias afficiunt, quales Th. 4. & sequent. recensentur; his subiungantur temperantia & spasmos, congestionum autores, in visceribus abdominis & aliis partibus, resolutientia, nitrofa, cinnabarina, salia media, nec non quæ aqualem sanguinis circulum inducent, turbas circa Venam Portæ sedant, & tonum partibus restituunt: ex Rad Alexipharmacis, Millefolio, scoradio & similibus concianata, non neglecto motu & potu: habent quoque locum specifica, pro qualibus habetur, Dens hypopotami, Lap. Manati &c.

## Th. XX.

Priusquam autem de remedii excretionem hæmorrhoidalem inducentibus acturus sum, supersunt duo mo-

nitu

nitu & memoratu digna: Vnum vt hæc tempestiue fuscipiatur, dum adhuc vires & viscerum integritas præsto sunt, nec in consuetudinem molimina abiere: hac enim inualefcente nullum tenent modum, sed leuissima ex causa insurgunt, quod præcipue de excretione hæmorrhoidum externalium dictum esto; quæ tardius inducta molimina adsueta non soluit, exemplo motuum spastico-rum: Arthriticis, Podagræ, Gonagræ, &c. non enim cefant, imo vix mitigantur.

## Th. XXI.

Contigit mihi habere Virum per longum tempus moliminibus hæmorrhoidalibus externis, spastodicis, arthriticis, ad pedes vsque euagantibus, & hos podagrīcis doloribus excruciantibus, vexatum, in quo non obstante larga euacuatione per hirudines, & debito medicaminum vñu, nullus constans sequebatur effectus, sed motus spastici vix per tres, quatuor dies emanfere, ex consuetudine iterum redeuntes. De tardo & inutili internalium fluxu in hydrope & hæstica consumatis, in antecedentibus Th. VI. dictum.

## Th. XXII.

Alterum est, vt vsum medicaminum excretionem hæmorrhoidalem inducentium, præcedat præparatio ita dicta corporis, tam humorum, quam viarum. Inanis enim foret conatus, immobile, aut etiam mobile per imperuia & minus patula loca mouere velle: animus igitur eo dirigendus vt ante omnia humores & viæ ad exitum dispositæ sint, obtineri hæc possunt, post imminutam Venæ seftione in Pede Plethoram, diluentibus, & fluxilitatem sanguini conciliantibus, vnaque vias relaxantibus, qualia sunt, sufficiens corporis motus & copiosior Cere-

visiae tenuioris, acidularum aut aliorum decoctorum, & in forma Thee vsualium Infusorum ex herbis Capillari- bus, Amaris, Neruinis, mediocribus : Rad. Alexipharmacis. Salibus medii. Tinct. Antimonii: &c. par- cior autem Vini Generosioris, potus, pro diuersitate tem- peramentorum ordinandis.

## Th. XXIII.

Hæmorrhoidalēm sinceri sanguinis excretionem prouocant, tam quæ humores solum, quam quæ vias vna afficiunt. Ad priorum numerum spectant, omnia quæ sulphureo copiose sanguinem commouente & expandente gaudent principio, qualia sunt: Omnia Aro- mata, & ex his preparata: Gummi Resinæ: Hederæ. Myrrhæ. Ammoniaci. Galbani. &c. Ad posteriorum vero, Purgantia: Scamoneum Gialappa, Colocynthis, El- leborus & mitissimum Rhabarbarum. &c. De purgantibus in genere notum est, quod tam humores quam vias afficiant. Prius testatur lac nutricum, sub vsu purgan- tis, tenellos laxans infantes: Posterius stricatura & maci- lentus post vsuum adspexitus, dum superficie corporis stri- eta, sanguis ad intestina copiosus delegatur. De Aloë constat, quod inter centum qui ea abutuntur, vix decem a fluxu ad minimum moliminibus hæmorrhoidalibus li- beri maneant. Colocynthis & Elleborus tenesimum in- ducent, sub quo ipse Intestinorum mucus & si dosi pec- cetur sincerus sanguis exprimi solet; & hec prudenter ad- habita sanguinem ad loca hæmorrhoidalia potenter inui- tant. De Ellebero pulcherrimam tradit obseruationem Consultissimus Dominus Praeses: Dissert. De hæmorrhoi- dibus foeminarum. p. 19. fluxus hæmorrhoidalis per eun- dem & emenagoga in foemina plethorica prouocati: huc spectant ex praecedentibus composita; Extr. Catholi- cum.

cum. Panchym: Crollii Pill. Aloephang: Francofurten-  
ses, & mitissimo effectu Beccherianæ. Tinct. Martis El-  
laborata: &c. Nec male ad inuitandos & revellendos  
ab aliis locis humores adhibentur suppositoria & Clyste-  
res acres.

## Th. XXIV.

Supersunt hirudines, quæ interno, præsertim au-  
tem præ omnibus medicamentis externo fluxui opem  
summam ferunt, siquidem sanguinem & inuitant & edu-  
cunt, nec quenquam circumpectus eorum usus absque  
solamine & bono effectu relinquit, debitum folum tra-  
ditorum mediorum & pro diueritate subiectorum ac cir-  
cumstantiarum variantem, expetimus usum. Diuino  
Numini pro concessis viribus & sic Feliciter  
exantatis laboribus, grates summas  
dicentes.



STANHOPE MATERIA MEDICO-  
CHIRURGICO-ALCHYMICO-  
PHARMACEUTICO-  
SALVATRICI

**M**acte animo, ne linque pedem, nec retrahere gressum,  
Emensum stadium declivi perfice gradu,  
Sit labor eximus, sint syrtes atque Charybdes,  
Filum Ariadneum presto est. Sic itur ad astra!  
Sic via per tenebras ad lucem panditur aliam!  
Obstaculum tandem superat labor improbus omne,  
Felix qui potuit rerum cognoscere causas!  
Dum nullum studium subterfugit atque labore.  
Virtutem insequitur tandem pede gloria presso,  
Omnem pro meritis operam decorabit Apollo  
Gratus: at auxiliis presto est felicibus ecce,  
Et letabundus dignos impertit honores.  
Gratulor ex animo, roroque e pectori letor,  
Supremum Numen cumulos superaddat honorum,  
Aspiret votis, & singula capta secundet,  
Et precor ut memori semper me mente recondas.

Ita applaudens scribebat  
L. H. POT. M. D.

**V**T monumenta meæ pietatis, Frater! haberes,  
Quanta Tibi potuit munera, mittit amor.  
Vsus amoris enim tecum mihi firmior omni  
Et fuit, & fiat, scis! adamante velim.  
Quique sumus vincit studiis communibus ambo,  
Qua in me tu fueras hac Tibi mente precor:  
Quam cupis, ut felix posses excolere Phœnix,  
Et rota sincero currat ut axe Tua.  
Prost! ametque suum Cultorem, cum Ioue Musa,  
Aegris, & Medico prost! opemque ferat.  
Hoc duce namque nous Medicus celebraberis Herrmann  
Pauperis & Ditis, Fratris & ore tui.

jure  
Cluis, amoris & generis propinquitate  
coniunctissimi  
STEH. ANTON. KOCHLATZ,  
p. t. Med. Praet, Schemnitziensis.  
103 (o) 88

Halle, Diss., 1719  
(A - G)

ULB Halle  
006 535 038

3



VB 18

Retro ✓







208  
1719 72  
Z

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,  
DE  
**FLVXVS HAE-**  
**MORRHOIDALIS**  
**PROVOCATIONE,**  
QVAM,  
FAVENTE DIVINO NVMINE  
ET  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV,  
PRAE SIDE  
**DN.D. MICHAELE ALBERTI,**  
POTENTISS. REGIS BORVSSIAE CONSILIARIO AVLICO,  
MEDICINÆ ET PHILOS. NATVRAL. PROFESSORE PV-  
BLICO ORDINARIO, ACAD. CÆSAR. NAT.  
CVRIOS. COLLEGA,  
FACVLTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,  
PATRONO, PRAECEPTORE AC PROMOTORE SUO  
SVMMOPERE DEVENERANDO,  
**PRO GRADU DOCTORIS**  
Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus ac Pri-  
vilegiis More Majorum Solenni obtinendis,  
Horis ante & pomeridianis  
ANNO M DCC XIX. D. OCT.  
Publica ventilationi submitter  
AVCTOR & RESPONDENS  
**ANDREAS HERRMANN,**  
Neosolio - Hungarus.

HALÆ MAGDEB. Literis STEPHANI ORBANI, Acad. Typograph.